





*[Faint, illegible handwriting on a blank page, possibly bleed-through from the reverse side.]*





62  
A S S E R T I O N E S

De

O P T. A R T I V M E T

P H I L O S O P H I A E S V M M A

tàm in Ecclesia, quàm Repub. uti-  
litate & necessitate,

Ex

*Acad. Juliae statutis verbotenus exscripta,*

*& bonæ eruditionis criminatoribus*

*opposita,*

Q V A S

*Auxiliante Deo Opt. Maximo,*

P R A E S I D E

C O N R A D O H O R N E I O

S. Theol. Lic. Professore Logico & Col-

legij Philosophici hodie De-

cano,

*Ad diem XVI. K. Sextil.*

publicè defendet

M I C H A E L P R A E T O R I V S

*Torgensis.*

HELMÆSTADI,

Typis heredum IACOBI LVCI

—  
Anno M. DC. XXIV.





AMPLISSIMIS, CONSULTIS-  
SIMIS, PRUDENTISSIMIS RE-  
RVMq; MLTARVM EXPERIEN-  
TISSIMIS VIRIS,

CONSULIBVS, PRÆTO-  
RIBVS, SYNDICO, TOTIQVE  
ORDINI INCLYTAE TORGENSIVM  
REIP. SENATORIO.

*Dnn. Mecenatibus, patronis & pro-  
motoribus summâ observan-  
tiâ colendis.*

Exercitium hoc Philosophi-  
cum dedicat

*Michael Prætorius Tor-  
gensis R.*



ANNO M. DC. XXIV.





PROOEMIUM.



Um exorsi denuò simus publicè explicare Dialecticam, id est, omnium bonarum artium & disciplinarum graviorum commune instrumentum, id ante omnia auditoribus nostris ostendendum in proœmio fuit, & ipsam illam & universum opt. artium chorum, ac totam philosophiam, non solùm ad prudentiam civilem parandam, sed cœlestis in primis doctrinæ illustrationem & propagationem, ac privatorum quoq; salutem cùm utilem, tùm prorsus necessariam esse. Quod cùm absurdissimè hodiè negent de cœlesti quidem doctrinà nova illa Enthusiatarum & Anabaptistarum soboles VVeigelius & ejus affectæ, de physicis & medicina Paracelsistæ, & contrà utriq; criminationibus & maledictis perpetuis omnem eruditionem incessant, & discentes perturbent, furor & insania eorum iuventuti ob oculos iterùm ponenda non nihil ea occasione nobis fuit. Quod cùm aliàs fecerimus pro virili, placuit nunc ex ipsis acad. nostræ statutis idem demonstrare, ut & studiosi juvenes sciant quo loco insectationes illæ habendæ sint, & omnes in hac acad. intelligant, sic & non aliter quàm hoc loco de opt. studijs sentimus & docemus, & viros omni exceptione majores jam olim sensisse, & ad id docendum & propugnandum acad. laudatissima statuta nos omnes obligare.

DE BONIS ARTIBVS ET  
PHILOSOPHIA IN COM-  
MUNI.

A 2

ASSER-





A S S E R T I O I.

**R**adij lucis & sapientiæ divinæ & testimonia de Deo conditore, & præsidia vitæ ac reip. multiplicia, & fontes bonorum ac ornamentorum vitæ, civilis præcipuè, & adminicula Ecclesiæ Dei, ad rectè intelligendam & propugnandam veræ de Deo doctrinæ lucem imprimis necessaria sunt litteræ, linguæ & artes, quæ vim & naturam sermonis in libro doctrinæ cælestis & aliorum disertorum scriptis, rationem rectè de rebus judicandi & differendi, præcepta de moribus, naturam cœli, stellarum, animantium, plantarum, animæ & corporis humani, numeros, figuras, annirationem & historias explicant, quas uno Philosophiæ *ἡ ἐγκυκλοπαιδείας* nomine usitatè complectimur: sapienti enim artificum divinitus excitatorum consilio omnes ingenuæ artes, Ecclesiæ ac communi vitæ in primis necessariae, & divinitus sparsis in mentes humanas singularum principijs ac normis monstratæ sunt &c. Cap. de colleg. Dd. philosoph.

II. Univerſus chorus artium & linguarum quæ in scholis traduntur, ad Verbi divini & veræ de Filio Dei doctrinæ illustrationem non solum præsidij multum & adjumenti adfert, verum etiam planè necessariò flagitur. Cap. eod.

III. Collegium Philosophicum eas præcipuè artes profitetur quibus primum imbui & præparari ac excoli ingenia solent, ut ad Theologiam, leges & artem medicam rectè & solidè discendas & exercendas instructiores accedant. Cap. eod.

IV. Artes bonæ ideò potissimùm discendæ sunt, ut Deo grata dicere & Deo grata facere in propagatione necessariae & salutaris doctrinæ & gubernatione Ecclesiæ & reip. possimus. C. de stud. lib. art. n. I.

5. Vni-



V. Univerſus arrium chorus Dei gloriae & Eccleſiae utilitati ſeruit. Cap. eod.

VI. Cùm duæ ſint præcipuæ & propriæ hominis doctes quibus cæteris animantibus longè excellit, ratio & oratio, colenda ſunt litterarum ſtudia, ut rationem ſeu mentem ſapientia h. e. cognitione Dei, naturæ rerum & virtute expoliamus, & orationis aliorum diſertorum intelligendæ, & noſtri animi ſenſa propriè & dilucidè explicandi facultatem aſſequamur, qua Dei gloriae & Eccleſiae ac reip. piè ſervire poſſimus. Cap. de ſtud. liberal. art. n. 2.

VII. Vera & incorrupta de Deo doctrina retineri, aut pura ac illibata ad poſteros tranſmitti, ſine multiplici doctrina & ſine magna exercitatione bonarum litterarum, & omnium artium varietate, non poteſt. Quare omnibus temporibus collegia docentium ac diſcentium & cuſtodientium libros & artes neceſſarias Eccleſiis adjuncta fuerunt. Cap. de colleg. Theolog.

IX. Theologorum eſt inter cætera oſtendere quomodo Græca & Hebræa lingua, hiſtoria, Dialectica, Ethica, Phyſica & cæteræ artes philoſophicæ ad illuſtrationem, propagationem & conſervationem cæleſtis doctrinæ & religionis veræ rectè & utiliter accommodandæ & uſurpandæ ſint. Cap. eod.

## DE LINGVIS.

I. Mediocris Latinæ & Græcæ orationis facultas ad fontes LL. Romanarum intelligendos neceſſaria eſt. Cap. de ſtud. iur. rectè inchoand.

II. Grammaticis trium linguarum præceptis ad vim & naturam ſermonis divini & verba, phraſes ac figuras quibus ſtipati ſunt Prophetarum & Apoſtolorum libri,



rectè intelligendas uti planè necesse est: cumq; Christi & Apostolorum conciones linguâ Græcâ, Prophetarum verò doctrina fontibus linguæ Hebraicæ contineantur, singulis perspicuum est cognitione harum linguarum Ecclesiam carere nullo modo posse. Cap. de colleg. Dd. philosoph.

III. Ianua & clavis ad totius Philosophiæ, historiarum & mathematicum, LL. de moribus, artis medicæ, & imprimis ad veræ de Christo doctrinæ fontes cognoscendos aditum aperiens est linguæ Græcæ, cujus monumentis illi primùm comprehensi sunt, cognitio &c. Cap. de Græc. ling. Grammat.

IV. Manifestum est in N. T. enarratione multas obscuras, & gravissimi momenti controversias consideratâ Græci sermonis propriâ & genuinâ significatione & phrasi facilè dirimi & dijudicari. Ibid.

V. Nec certa esse posset Ecclesia de vera & genuinâ sententia concionum Christi, nec refutari verâ interpretationis corruptelæ, nisi fontes semper aliquibus noti essent: nec ullius linguæ alterius monumentis thesauri sapientiæ & eloquentiæ in omni doctrinarum & studiorum genere uberiores & splendidiores continentur. Ibid.

## DE DIALECTICA.

I. Organum & manus universæ Philosophiæ & mater omnium bonarum artium reliquarum est Dialectica. Cap. de Dial.

II. Dialectica methodus organum est omnibus disciplinis gravioribus rectè tractandis cōmune. Cap. de stud. jur. rectè inchoando.

III. Dialectica non solùm viam & rationem rectissimam



mam discendi & docendi cæteras artes, & de singularum operibus judicandi, ostendit, verùm etiam fontes & causas certitudinis reliquarum artium demonstrat. In primis verò Ecclesiæ Dei ad doctrinam cælestem rectè, distinctè, justo ordine & perspicuè docendam & explicandã, & errores ac corruptelas veræ sententiæ dextrè, & eruditè refutandas prorsus necessaria est, sicut gravissimis verbi divini testimonijs Tit. 1. 2. Timoth. 3. 1. Timoth. 3. & cæteris quæ rectè & ordine doceri doctrinam de Deo, & contradicentes evidenter confutari iubent, studium Dialecticæ Doctoribus præcipuè Ecclesiarum futuris præcipitur. Quare propter gloriam Dei & Ecclesiæ salutem diligentius & studiosius Dialecticam & Rhetoricam cognoscamus. Cap. de Dial.

IV. Aristoteles in XVI. organi libris artem hanc perfecisse, quã ad rectè discendum, judicandum & differendum de omnium artium materijs, velut communi organo utimur, eamq; integrã existimatur complexus esse. Cap. eod.

V. Organum Aristotelis fontes artis differendi uberrimos, & omnibus numeris absolutos continere existimatur. Ibid.

VI. Syllogismus est velut lapis Lydius & regula quæ argumentum seu probationem ex locis inventam cum partibus quæstionis propositæ aptè & firmiter disponit & examinat ac judicat an certa & firma sit connexio terminorum in propositione dubia, an verò dubia & fallax. Ibid.

VII. Cum Aristoteles abecedarijs tantum exemplis, Geometras imitatus, utatur, idoneis exemplis ex Physica vel morali Philosophia, vel Theologicis etiam disputationibus sumptis, *ἐπιπέσις καὶ ἀποδείξις* Professor Aristotelicus illustret.



## DE RHETORICA.

Magnum & excellens decus & Ecclesiæ, rebusq. scho-  
lis & toti hominum vitæ magno præsidio & ornamento  
est mediocris etiam rectè ordine perspicuè, ornatè &  
aptè de re proposita dicendi vel scribendi facultas. Cap.  
de rhetor.

## DE PHYSICA.

I. Etsi per se hominis cognitione dignissima & iu-  
cundissima est & plurimas toti vitæ utilitates Physica ad-  
fert & exordium est artis medicæ: tamen in primis Eccle-  
siæ Dei ad conciones Christi, Prophetarum & Aposto-  
lorum rectè intelligendas & eruditè explicandas omninò  
necessaria est. Cap. de Phys.

II. Passim in tota Scriptura insignes similitudines à  
sole, luna, meteoric. sale, gemmis, margaritis, palma, ce-  
dro, olea, vite, balsamo, ficu, sycomoro, frugibus, colum-  
bis, serpentibus, corvis, passeribus, viperis, struthioni-  
bus, erodiis & alijs animalibus eorumque partibus su-  
muntur, quas sine plantarum & animantium naturæ sci-  
entiâ dextrè intelligi & enarrari non posse perspicuum  
est. Cap. de Phys.

## DE PHILOSOPHIA MORA- LI ET CIVILI.

I. Ex radijs sapientiæ seu legis divinæ mentibus hu-  
manis divinitus insitæ & naturâ notæ leges honestæ o-  
mnes & præcepta de omnium virtutum actionibus lau-  
dabilibus, in officijs Ciceronis, in Phocylide, Theogni-  
de, Hesiodo, Seneca & cæteris Philosophorum & juris-  
pru-



prudentium libris derivata sunt & tota moralis Philosophia seu Ethica, quæ explicatio est legis Dei naturæ insitæ, exstructa est: cujus elementa Ecclesiæ Dei in enarratione Decalogi & tota bonorum operum seu virtutum doctrina utiliter serviunt & originem ac fontes universæ jurisprudentiæ continent & ad reip. ac vitæ privatæ gubernationem & formandum iudicium de maximis rebus inprimis necessaria sunt. Cap. de Eth.

II. Fons doctrinæ Ethicæ ac Politicæ est Decalogus. Ibid.

III. Extant multorum artificum libelli Ethici, in quibus ex notitijs legum & virtutum naturæ insitis certâ methodo coagmentata de moribus præcepta in artis formam redegerunt, inter quos Aristotelis magna Moralia & ad Eudemum ac Nicomachum, & in his quintus præcipuè liber de justitia, virtutum omnium regina, inprimis eminent. Officia Ciceronis ad popularem captum accommodatius scripta sunt. Senecæ epistolæ gravissimas non solum disputationes Ethicas, sed etiam cohortationes ad virtutem colendam & vitia fugienda acerrimas continent. Plutarchi moralia, verè aurea, sapientissimis sententijs, aptissimis similitudinibus & dulcissimâ exemplorum & historiarum varietate & copia omnibus alijs antecellunt. Ibid.

IV. Ethica & Politica decalogum & totam doctrinam Legis illustrent. Cap. de coll. Dd. Phil.

V. Cum Philosophiæ pars ea quam Ethicam & Politicam vocant fontem legum naturæ eruditè aperiat & explicet, & quomodo rivi legum politicarum partim demonstrationibus, partim probabilibus & honestissimis rationibus inde deducantur ostendat, altera juris studium ingressuri cura sit (sc. post scripturæ cognitionem) ut



Ethicæ doctrinæ elementa ac in his quintum præcipuè Aristotelis Ethicorum librum, qui velut, *ἠθικὴ* & *ἠθικὴ* in tota morali Philosophia elucet, diligentissimè cognoscat. Ciceronis etiam & Platonis leges & Aristotelis Politica, ex eodem fonte legis naturæ, cujus summa in Decalogo comprehensa & in Philosophia morali explicata est, emanantia, adjungi ab ingeniosis & linguæ Græcæ peritis non inutiliter possunt. Cap. de stud. iur. rectè inchoando.

## DE ASTRONOMIA.

- I. Astronomia fastigium & apex totius philosophiæ & generosis ac cælo natis ingenijs dignissima est. Cap. de Astron.
- II. Eadem non solum Ecclesiæ & toti communi vitæ in certa anni descriptione & temporum discriminibus ac serie certa & calendarijs annuis, quibus carere vita hominum non potest, conservandis utiliter servit, verùm etiam multis sacræ Scripturæ partibus rectè intelligendis & perspicuè ac dextrè explicandis & veræ religionis doctrinæ in Ecclesia propagationi prorsus necessaria est.
- III. Nominatim etiam pulcherrimorum in cælo siderum (quæ velut maximè insignia plariq; etiam cæteri auctores in scholis usitati Hesiodus, Homerus, Virgilius, Polybius ac Plinius celebrant) Orionis, arcturi, pleiadum, hyadum, capellæ matris hædorum &c. in biblijs mentio fit, quæ loca intelligi & enarrari dextrè absq; stellarum illarum monstracione & figuræ, motuum, temporum, ortus & occasus & virium & affectionum descriptionibus nequeunt. Cap. eod.

D E



## DE ARITHMETICA.

I. Nullum illustrius de Deo testimonium in mente hominis ad imaginem Dei conditâ superest quàm numerorum & ordinis ac proportionum notitia, quam verè *πηγὴν καλῶν*, fontem omnis sapientiæ & doctrinæ & plurimorum in vita bonorum nominare possumus.

II. Arithmetica ad seriem annorum mundi in solis Biblijs traditam & computanda tempora divinarum patefactionum, collectæ & instauratæ Ecclesiæ, adhibenda est. Cap. de Arithm.

## DE GEOGRAPHIA.

I. Prorsus necessaria Ecclesiæ Dei & omnium divinarum patefactionum ac totius historiæ Patrum, Prophetarum, Christi, Apostolorum & omnium regum & regnorum apud ethnicos lumen est Geographia, quæ regiones orbis terræ & præcipuarum gentium, urbium & locorum, in quibus se Deus patefecisse & res magnæ in Ecclesia & imperijs gestæ esse scribuntur, situs & intervalla demonstrat. Ac nobis in Ecclesia hæc consideratio locorum magis necessaria est quàm alijs hominibus, qui nec quærunt unde religiones acceperint, nec alias patefactiones Dei certis locis factas desiderant.

## DE HISTORIA.

I. Perspicuum est in primis Ecclesiæ Dei & veræ de Deo doctrinæ ac religioni Christianæ illustrandæ & propagandæ cognitionem historiæ seu expositiones rerum, quæ in hoc mundi theatro à Deo, & hominibus illius incolis memoriâ maximè dignæ in Ecclesia & imperijs ab initio mundi usq; ad nostram ætatem gestæ sunt, necessariam & salutarem esse. Cap. de hist. lect.

II. Et



II. Et gentium historiae testimonia sunt providentiae & iudicij divini punientis scelera, nec minus quam sacrae, exempla sunt praecceptorum decalogi, & ad locos communes virtutum & vitiorum, praemiorum & paenarum ad decalogi leges congruentium accommodandae. Ibid.

III. Ad initia studij Theologici adultiores postea historiam Ecclesiae omnium temporum, quam habuerit singulis aetatibus doctrinae vocem, quos praecipuos doctores & testes, quae certamina de doctrina & iudicia, aeternas & liberationes &c. adjungent, ut iudiciis & consensu Catholicae Ecclesiae Dei fidem confirment & recrudescencia subinde nostris temporibus similia certamina dijudicare gravius possint.

IV. Latissime autem hoc praecceptum patet, & non solum sacrae propheticae & apostolicae historiae sed omnium etiam Patrum, scriptorum historiae Ecclesiasticae, conciliorum, canonum, sententiarum Lombardi & interpretum illius, & superioris & nostrae aetatis certaminum & scriptorum cognitionem continet. Cap. de Chronol. Eccles.

## DE POESI.

Vt Philosophiae nomen omnes caeteras artes, quarum cognitio praecipue homini expetenda est, ambitu suo complectitur: sic Poetica non peculiarem aliquam & a caeteris artibus sejunctam materiam subjectam habet, ut Ethica, Astronomia, Physica &c. sed per omnes disciplinas & artes vagatur & ex omnibus philosophiae partibus summum decus decerpit.

Cap. de Poetic.

F I N I S.



✓  
00 A 6436

ULB Halle 3  
004 931 300  


KD 18











62

I O N E S

I V M E T

I A E S Y M M A

iam Repub. uti-  
cessitate,

*verbotenus exscripta,*  
*crimatoribus*

A S  
*pt. Maximo,*

I D E

H O R N E I O

ore Logico & Col-  
ci hodie De-

*K. Sextil.*  
fendet

R A E T O R I V S  
fis.

T A D I ,

C O B I L V C L ,

C. XXIV.

B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches